XENIA REGIA

ad Iacobum

Potentiſsimum inuictiſsimumq́; Britanniæ

Regem

Sereniſsimam Annam *Reginam,*

Henricum Fredericum

maxime ſpei prin-

cipem

A.D.D. Sc. Br. conſcripta.



Excudebat Londini.

1607.

XENIA REGIA

ad Iacobum

Potentißimum inuictißimumq; Britanniæ

Regem

Serenißimam Annam *Reginam*,

Henricum Fredericum

maxime spei prin-
cipem

A.D.D. Sc. Br. conscripta.



Excudebat Londini.
1607.



AD

POTENTISSIMVM ET INVECTISSIMVM BRITANNIARVM REGEM.

ENDECASYLLABVM.

INuictissime Regum huius æui,
Cui large Deus, omnia erogauit,
Quæ vitam facere hanc queunt beatā,
Vnquā si ille hominum erogauit vlli,
Fælix coniugium, tori pudici,
Dulces, pignora suauiora natos,
Robur, Nobilitatem, opes, honores,
Regna, stemmata, imaginesque auorum,
Et (quam principibus dedere raro
Ætas rarius) eruditionem,
Et tantis opibus, bonisque mentis
Quibus proximus es Deis relatus,
Vnam addis propriam et peculiarem,
Hisce temporibus nec vsitatam,
Gratitudinem: et hanc benignitate,
Colis iustitiam bonus, deoque
Diuinos sine fraude reddi honores,
Pius præcipis, æquitatis auctor,
Quin vt barbariem procul repellas
Tuis finibus, arceasque longe,
Quam ignorantia cæca parturit, te
Doctis associas, tuamque fulcis,
Horum consilijs domum docesque,

Orbam luminibus vagamq; vitam
Musarum inscia que venit: sit inde
Vt non sat liqueat suum parentem
An natus superet, parensue natum
Tuq; hospes pietatis, atq; clemens
Fautor pierij Chori vocaris,
Et doctissimus Principum huius aui.

De venatione Regia.

D*Vm vigil exerces, studium, Rex magne* Dianæ,
Et captas canibus, persequerisque feras.
Mars *ait? O regni columen, spes una* Britanni,
Inde tibi magnum nomen et omen habes.
Tempus erit, cum tu magnos venabere Reges,
Subijciesque tuo, regna propinqua iugo,
Aut Turcas bello, aut Latiam *insectaberis vrbem,*
Et dira, inijcies vincula pontifici.

Aliud.

C*Vm tu Rex, regni, molimina tanta gubernes,*
Et titulis cedant, omnia prisca tuis.
Carminibus par es musis, atque arte Minerua,
Eloquio dubium est, ingenioue prior.
Vtque tuis pareat Regio latissima sceptris:

Obserua

Obseruat mores, non minus, illa tuos.
Sic maior iure es superis, quando omnia prestas
Singula, quæ magni vix potuere Dii.

Aliud.

M*Axime terrarum princeps, te sospite nobis,*
Candida pacatus otia, mundus *aget,*
Namque Deus, *qui te regnis donauit auitis,*
Regnorum per te iam leue sentit onus.
Et quantum te nunc presentia tempora, laudant,
Laudabunt mores, postera secla tuos.

Aliud.

S*I quis amans Patriæ, Pacique paratus et Armis,*
Qui curat sanctæ religionis opus,
Si quis Cecropiæ *doctus, latiaque* Mineruæ,
Artibus, et Clarii cura salusque Chori,
Si quis erit custos iuris, venerandus, et æqui,
Dispeream, hæc nisi Rex, omnia solus habes.

Ad Serenissimam Reginam.

AVLA solet IANI dare mutua dona Calendis
Anni, vt venturi faustior orbis eat.
Haec ego do REGINA tibi, maiora daturus
Munera, sors animo si foret equa meo:
Hoc ANNÆ precor, vt nostro det pignora Regi
Annua, quae REGEM, Saxonidasque beent.

Aliud.

QVam magnae merito Diua sis nomine digna,
REGINA, Angligenum nobilis ANNA decus,
Quam pietas, virtus, clemencia, gratia forma
Ac generis Cælo, clara propago beat.
Tu Regis et populi charis es; CHARIS ipsa futurus,
Et populi et longo tempore Regis eris.

Ad

Ad Sereniſſimum Valliæ Principem.
Endecaſyllabum.

FRederice magni patris Voluptas,
Splendor Saxonidum tuaque gentis,
Steuarti generis perenne lumen,
Magni delitiæ, atque alumne Martis,
Annos qui ſuperas tuos, ſagaci
Mentis conſilio ſcientijſque,
Queis iampridem animum imbuis, probaſque,
Nil tam difficile, arduumue quod non
Tandem continuo labore vincis,
Qui curas animi, et negotiorum,
Duros tam benè temperas labores:
Vt (quæ difficilis maliſue plena eſt)
Lenias ſtudiis leueſque mentem,
Nunc venatibus, aut tenace lucta,
Aut arcu aut agilis ſciens paleſtræ
Nunc Equum refugos, agis per orbes,
Gyro multiplici: modo huc, modo illuc,
Spumantem grauibus regens Lupatis,
Dum tandem nimio labore feſſus,
Vertis te ad ſtudia impiger priora,
Et Muſas repetis, prius relictas.
Vt olim pietate, literiſque
Dei munere non minor ſis parente,
Macte, O inclyte, macte laude princeps:

Felix

Fœlix es ter et amplius, beati
Quem Dij tot cumulant bonis: perennis
Laus nullo tua conticescit æuo.

Ad eundem.

INclyte Saxonidum princeps, spes magna tuorum,
Quæ laudes poterit lingua, referre tuas.
In te non patria solum virtutis imago,
Ingenijq; vigor consilijq; nitet,
Quin Laudes, Virtus, longe tua vincit auitas,
Tantus honor mentis, gratia tanta tuæ,
Quod si sic cepto, decurrere tramite perges,
Nemo tibi meritis, æquiparandus erit.

Anagramma nominis Serenissimi Principis HEN-FREDERICVS. EN FERRI DECVS.

SI quod inest omen fatali in nomine princeps:
HEN-FREDERICE, feri gloria Martis eris,
IN FERRO DECVS *est magni ductoris, et inde*
Tu belli exequo es magnus, et arte togæ,
Insequere exemplum regumq; ducumq; deiq;,
Rex ~~olim, nunc~~ Princeps, nunc mihi semper Deus.
eris es

Aliud.

VT radios sueuit natus Iouis *alite pullus,*
Solis et illæso lumine ferre iubar,
Sic tu magnanimum factis imitare parentem,
Aut factis supera facta paterna tuis.
Dum colis et sequeris princeps, vtramque Mineruam,
Iure tuum cinget, Laurea bina caput.

FINIS.